

/ Roberto Bellarmino Card. Romam.

Ill/me et R/me Domine,

Sacris Virginibus Ordinis B.V.Mariae à B.Joanna instituti, earumque patribus spiritualibus Minoritis, Ill/mae G.V. de ipsarum  
5 officiis responsum exhibui, atque alias transmissa in Urbem fuisse officia agnoverunt: sed tum se postulasse inquiunt, ut non tantum quatuor festa, sed eorundem etiam festorum octavas celebrarent, addita insuper octava de Annuntiatione a qua vulgo Virgines Annuntiatæ appellantur, quæ octavae ferialia Breviarii Romani officia magna ex parte exclusissent. At modo quatuor tantum festorum officia  
10 propria approbari rogant, quæ ex regulæ suæ præscripto, a Summis olim Pontificibus approbatæ celebrare quodummodo tenentur: nec quidem hactenus celebrare ea desierunt, desumpto officio ex communi Sanctorum, vel ex festivitate B.V.Mariae ad nives; idque ex concessione  
15 nuncii cujusdam Apostolici in Belgio. Quare cum nulla alia propria festa habeant Marianæ hæc Virgines, quam hæc quatuor, et de eorum octavis cogitationem modo omittant, a Sanctissimo Pontifice, Ill/mae G.V. interventu, hanc gratiam impetraturas se confidunt, ut et regulæ suæ præscripto et antiquæ devotioni suæ liberius  
20 satisfaciant. Itaque Ill/ma G.V. mihi ignoscat, si iterum pro sacris his Virginibus sum molestus: nam licet crebra B/mae Virginis in Romano officio festivitas occurrat; tamen salvo S.Apostolicæ Sedis judicio, aliquod hic privilegium Marianus ordo mereri videtur. Vale Ill/me et R/me Domine, magno Ecclesiæ catholice bono. Ant-  
25 verpiæ, in officina plantiniana. XV Sept. M.DC.XVII.